



500-00

Este Oficio he de Melchior  
la Grana.

S. D. A. 3

EF  
A  
6  
29

Nº 320  
A-E. 25

4

D.  
**HIERONYMI**

**OSORII LVSITANI**

Episcopi Syluensis, de Regis institu-  
tione & disciplina, lib. viii.

*AD*  
**SERENISSIMVM ET INVICTISSI-  
MVM PORTVGALIÆ REGEM SEBASTIANVM,**  
E. N. I.

*Quibus accessit eiusdem Authoris episto-  
la ad Elisabetham Angliæ Reginam.*

3  
33  
33  
33

Manus. do, Prin-

320

INSTITUTO DE ESTUDOS  
PORTUGUESES DO COLONIALISMO  
Faculdade de Letras - Coimbra

Cum gratia & priuilegio  
Regum  
SEBAST. R. PORT. ET PHIL. R. CATHO.

OLYSIPPONÆ,  
Ex officina Ioannis Hispani.

1572.

Tassado em papel.

Hc de Boa  
Vera

¶ Ego F. Bartholomeus Ferreira: Clarissimi Principis Hen-  
rici, Cardinalis, Lusitaniae supremi Inquisitoris iussu, & consi-  
lij generalis Sancte Inquisitionis, summa animaduersione ac  
studio: recognoui opus, R. D. Hieronymi Osorij Episcopi Syl-  
uensis, & nihil in eo offendit, quod fidei catholicæ & pijs mori-  
bus aduersetur: in quo quidem opere diligēs lector, pectus ve-  
re Christianum: singularemq; eruditionem, admirabili oratio-  
nis facultate exornatam, facile deprehendet. Cæterū cùm  
hæc omnis tam longa de Regis institutione disputatio, inter  
quatuor personas dialogorum more versetur: studiosum le-  
torem admonendum duxi, ne quibusuis sententijs eorum qui  
loquuntur fidem prorsus adhibeat: donec autor operis quid in  
ijs, vel probandum, vel improbandum, sit, deffinierit. Quæ dif-  
finitio nonnunquam paulo longius dilata, consequentibus li-  
bris reseruatur. Hoc enim argumentum octo libris qui hoc vo-  
lumine continentur absoluitur. Quocirca dignissimum cæso:  
ut hoc tam præclarum opus typis committatur. In cuius rei fi-  
dem, iuxta X. reg. indicis sacri Concilij Tridentini, in fronte  
libri subscripsi. 29. Augusti. 1571.

F. Bartholomeus Ferreira.



CARTA  
SANTO DOMINICO  
CONVENTO

OTRÍPIONE  
Expositus Iosuas Hilarius

longmo

oblivisT

AD SERENISSIMVM  
ET INVICTISSIMVM PORTV-  
GALIÆ REGEM SEBASTIANVM

E. N. I.

De Regis institutione & disciplina,  
Hieronymi Oforij Episcop.  
Syluensis.

*Liber primus.*



VAM MVLTA MA-  
la, in res humanas inuexe-  
rit, regnandi libido, Prin-  
ceps inuicibilis, Rerūp.  
cōuerſiones, Imperiorūq;  
maximorū ruinæ, & sum-  
morum Regum clades fu-  
nestissimæ declarant. quæ enim gens rerum gesta-  
rum gloria præstas, non hoc morbo cōcidit? quòd  
Regnum tantis opibus floruit: ut non hac tandem cu-  
piditate funditus euersum, & extinctum sit? Plenæ  
historiæ sunt, ne scenæ quidem de hoc tanto malo  
filēt: vita etiam cōmunitatis, huius tam diræ pestis exé-  
pla propè quotidiana suppeditat: & quòd est magis

DE REG. INSTITVT. ET

admirandum, cùm omnibus proposita sit vita se-  
cura atq; tranquilla, & omnes videant, quām mul-  
ta pericula illis intendantur, qui multis imperant:  
& quantis curis impliciti sint omnes, qui in Regia  
sede locati sunt: ita tamen quidam per omnes flā-  
mas, regnandi cupiditate incensi rapiūt: ut nul-  
lus metus, nulla verecundia, nulla religio eos im-  
pediat, quō minus omnia tetra facinora machinē-  
tur. Primūm enim leges, in quibus salus patriæ sita  
est, odio nimis acerbo persequntur: omnes magi-  
stratus extintos, atque deletos cupiunt: principi-  
bus insidias parāt: Remp. temeritate & amētia per-  
turbant: ut sic tandem omnibus præsidijs publicæ  
libertatis, per summum scelus erectis, ipsi soli in  
Repu. dominantur: quin etiam multi, vsq; eò pro-  
gressi sunt, vt non solum ciues, socios, cognatos,  
fratres, amicos: sed etiam liberos, atq; parētes im-  
manissimè trucidarent, & in res etiam sacrosan-  
ctas, omniq; religione munitas inuecti, sanctissi-  
mum Dei numen, præ sua effrenata cupiditate cō-  
temnerent. Vnde colligitur, nihil esse tam sancto  
iure vallatum, aut tanta religione septum, quōd  
non perrumpat, atque disturbet ambitio. Accedit  
quo magis id dolendum sit, quōd ij plerumq; hoc  
oppressi morbo, in patriam teterimi sunt, qui  
maximiè benefici atque salutares esse potuissent: sit  
enim.

Scrit

matato de spada  
aendo.

enim plerumq; vt illi potissimum ambitione præcipites, ad omne facinus stimulentur, qui animo maximo sunt, & ea de causa potuissent multò facilius patriæ salutem tueri, atq; conseruare. magnus enim animus si modo, atq; ratione vacat, ita turbatur, & ruit; vt quocumq; impetum dat, horrendas strages efficiat. Adiuuat autem eorum, qui ad summos honores aspirat insaniam, multitudinis error, atq; dementia: quæ sæpè numero nullum scelus detestabile iudicat, quòd regnandi causa susceptum sit. illa igitur Eteoclis sententia, quæ est apud Euripidem, qua scelus suū mininè purgat, sed ex scele re laudem querit; eò quòd per illud sibi ad Regnum viam munierit; in multorum sermone atque prædicatione versatur. Quamuis igitur is, qui ad Regnum iter affectat, parentibus aut fratribus vietam eripiat, & in suorum sanguine atq; sede bacheletur, vt ea ratione facilius Imperio potiatur: tamen vt vir animi maximi, imperioq; dignissimi, à multis laudari solet. his autem sermonibus inflati quidam, nullam sibi iniquitatem, & iniuriam decori forè suspicantur, ex qua possint, ad aliquem gradum imperij, & amplissimi honoris ascendere. Vnde concludi potest, nihil esse animo, si nō fuerit <sup>maximo</sup> ratione temperatus, rebus humanis infestius. Ut autem illis, qui ita sunt affecti omnia procedant ut volunt, & imperia quæ nimis sitienter appetunt,

a 3 facile

## DE REG. INSTITVT. ET

facile consequantur, quos tandem fructus, ex im-  
 perio suo percipient? curas, solicitudines, angores,  
 vitam molestissimis negotijs implicatam, iniquis-  
 sima postulata, districtum animum, & inter offen-  
 sionis metum, & rei familiaris atq; publicæ diligē-  
 tiam, miserabiliter hæsitātem. si omnia latronibus  
curæ regū suis largiuntur, opes suas profundi sentiunt: si eis  
 aliquid denegant, hostes in se concitant, illos ipsos,  
 quorum se fide communierant: si Regni admini-  
 strationem familiaribus suis permittunt, omnia  
 Regni præsidia dilabuntur: si per se omnia curare  
 volunt, inanē curam, & sine ullo fructu percipiunt;  
 horamq; nullam habent metu, & solicitudine li-  
 beram. sic autem fit, vt multi qui Principes haberi  
 volunt, nulla in re, neque domi, neque foris con-  
in ullam quiescant ~~in ullam~~ vitæ suavitatem gustent: nulla  
 voluptate nimo libero, atque soluto perfruantur.  
 Adde nunc inuidiæ fraudes inexpiabiles: adde sce-  
 leratorum hominū prodiciones: adde formidines,  
 horrores atque pericula; quibus amplissimus ille  
 locus obsessus est: adde postremò diros casus, qui-  
 bus magnorū Principū vita sæpè cōcluditur. Quid  
 nā igitur esse causæ putem, cur cùm oēs videāt, ni-  
 hil esse magis expetendū, quam placidæ, quietæ, &  
 tranquillæ vitæ cōstantiā: sint tamen ita multi, qui  
 nullo modò quietem pati possint, eamq; vitā mo-  
 dis omnibus expetant, quæ est pacis & tranquilli-  
tatis

tatis expers, & periculosis admodum tēpestatibus,  
in diuesfas partes iactata? Num eam pestem à na-  
tura datam hominibus, vt hac cupiditate cæci, de-  
ficiant à mēte, & spōte atq; volūtate sua præcipites,  
in miseriā sépiternā irruāt? Nullo modō: nec enim  
est, illius summi cōditoris & Dñi , qui naturā vni-  
uersam finxit, pestē hominibus machinari . homi-  
num tamen incōsiderata temeritate fit, vt naturæ  
principia, quæ ad salutem & honestatem data sunt,  
ad perniciē & ignominiam conferātur. Nec enim  
impetus animi, Regnum appetētis vituperādus est:  
sed mentis cæcitas, quæ illo impetu vti nescit: & dū  
Regnum sibi parare nititur, seruitutis miserrimæ  
vinculis alligatur. Est namq, in animis nostris in-  
situm quiddam generosum, excellūm atq; magni-  
ficum, dignitatis appetēs, imperādi studiō incēlum:  
nullos labores dum modō glorioli sint nulla vitæ  
pericula honestatis gratia recusans. Non enim ad  
otium, & ignauiam , nec ad fuitiles & inanes volu-  
ptates: sed ad officiū, & industriam, & animi cōten-  
tionem: sed ad decus & honestatem, quæ labore &  
studio cōparatur, nati, suscepiti, ab ipsaq; natura im-  
buti & instituti sumus. Quo fit, vt cùm nemo bene  
à natura informatus, otiū & securitatē, honestis la-  
borib' anteponat: tūm illi, qui maiore animo sunt,  
otiū mortis instar esse putēt, eaq; ratione imperare  
cupiant: vt virtutis & industriæ suæ fructum per-  
cipiant,

a +

cipiant,

amicō parcant, dum vel aliquid ab illo sperant: vel  
opes illius ita munitas esse putāt, vt nō facilē labe-  
fieri posse cōfidāt . vbi verò primū illius euertēdi  
facultatē oblatam vident, eā minimē prētermittūt.  
Sic autē fit vt status Reip. paulatim cōmutetur: no-  
men enim tantū Regni manet, re autē vera pau-  
corum potestas instituitur; intolerabilis enim po-  
tentia ad paucissimos homines defertur. Dum is  
igitur qui Regis nomē obtinet, in voluptatibus æta-  
tem cōterit: dū somno desidiaq; torpet: dū ita suam  
personā in negotijs interponit, vt semper suis fami-  
liarib<sup>9</sup> obsequatur: illi interim moderatores Reip.  
ita se gerūt, vt omnia venalia proponāt, & mercatū  
instituant omniū curationū & munerū. Sic autem  
silent leges, tolluntur iudicia, libertas eripitur, au-  
ritia dominatur: neq; solū viduæ atq; pupilli, & re-  
liqui qui propter imbecillitatē obnoxij sūt iniurię,  
sed potentiores etiam vexātur, & multa incōmoda  
patiuntur. cūm enim inciderint in offensionem eo-  
rum qui tenent omnia, necesse est vt omnium for-  
tunarum periculum adeant: omnes igitur illis adu-  
lentur opus est, illis seruiant, illos muneribus atque  
donis afficiant, ad illorumq; libidines se totos accō-  
modent; reliquis autē, qui apud illos in gratia non  
sunt, ne lamentari quidē liberè calamitatem suam,  
aut opem contrā illorum potentia implorare licet.  
Neq; solū ex omniū subditorū bonis prædas agūt:

DE REG. INSTITVT. ET

sēd Regis etiam opes, domum auertunt, illiusq; ga-  
zam impune diripiūt; studia verò virtutis & hone-  
statis abijciūt. Nec enim ibi frugalitas & cōtinē-  
tia locū habere potest, vbi luxuria immēsa principa-  
tū tenet: nec animi magnitudo, vbi libertas oppres-  
sa est: nec iustitia, vbi oīa venalia sunt: neq; prudé-  
tia, vbi cūcta temeritate & amētia perturbātur. Iam  
verò liberalitas, & beneficētia & reliquæ eiusmodi  
virtutes, quomodo splēdere possunt, vbi omnia op-  
pressa sunt crudelitatis & auaritiæ dominatu? At-  
+ morū verò usus penitus obsolefecit, irridentur enim  
milites, homines fortes ejciuntur, duces & impe-  
ratores ab hominibus profligatis atq; perditis, ho-  
noribus & emolumētis spoliantur: sic igitur cùm  
ad sceleratorum hominum libidinem res admini-  
strentur, cùm nihil gratis ab illis auferatur, cùm ma-  
gistratus & p̄fecti non dignitate, sed precio fiāti:  
cùm legū autoritas cōcidat, cùm iudicia nulla sint,  
cùm vbiq; minutæ tyrannides existant, maiorum  
tyrannorum gratia confirmatæ: quæ reliqua spes  
erit populis, tanta importunitate perditis & affli-  
ctis? Omnia pecuniæ in paucorum domibus in-  
cluduntur, opes Regis ipsius cōminuuntur, adulte-  
ria & homicidia impunè suscipiūt, vniuersa Resp.  
furtis & latrocinijs infesta tumultuatur: tātisq; dis-  
sentionib<sup>9</sup> laborat, vt diu stare nō possit. Et hæ qui-  
dem sunt artes, quibus illi in pace gubernāt: si pax  
appellari

appellari potest interitus legum<sup>cō</sup> totius Reip. fœda confusio. Nunc belligerendi rationem videamus. imminet repente bellū, & hostiū exercitus ad nos oppugnādos summa celeritate cōtendit. Euocentur inquiunt milites. Qui? Ij ne quibus frequēter illusistis? quorum virtutem contempsistis? quos omni contumelia dignos existimatis? Conscribātur exercitus. Qui exercitus? scurrarum né, atque lenonum, quos fortibus viris exclusis in fidem vestram recepistis? an potiū mercatorum atque redemptorum, quos auaritiæ ministros habuistis? Arripiantur arma, tela subito comparentur. Quæ arma? quæ tela commemoras? ea né, quæ studio atque vigilantia vestra, situ atque rubigine consumpta sunt? nec armorum ullum studium. nec arma video, neque vires denique quibus armæ gestari possint; Omnes enim in quibus inerat aliqua virtutis militaris indoles, cùm cernerent à vobis homines fortes irrideri, virtutemq; ludibrio haberí, præmiaq; virtuti debita, flagitious & impuris hominibus condonari: abiectis armis sese ad eas artes, quibus effœminantur animi libenter & studiosè contulerunt, vt vestris vestigijs insisterent. Sociorum ( inquis ) auxilijs à nobis periculum propulsabimus. Miserum, copijs tuis omnino dissidere, externisq; hominibus qui fidē venalem habent, vitam tuam, atque libertatem tuendam credere;

DE REG. INSTITVT. ET

credere . sed esto , sit aliquod firmum præsidium  
ignavis hominibus , in externo & condu<sup>c</sup>to milite  
collocandum . ex prome igitur pecuniam , vt ho-  
mines quos non Reipubl. caritas , neque insigne  
laudis studium : sed pecuniæ tantùm cupiditas , ad  
arma solicitat , pecuniæ magnitudine feroce*s* effi-  
cias . vndè igitur tantam pecuniam erogabitis ?  
+ num ex Regis ærario , quod est partim illius intem  
perantia , partim avaritia vestra penitus exhaustū  
num ex populis immanitate vestra perditis , qui  
+ quemadmodum vitam tenuissimè sustentent , ra-  
tionem inire non possunt ? nam illud certè non di-  
cetis , vos vt debitum Principi , qui vos tantis op-  
ibus auxit , officium persoluatis , velle pestem hanc  
à Rep. vestris sumptibus arcere . quæ enim vestra  
sapientia est : credo vos malle cōmuni patriæ incen-  
dio cōflagrare , quām aliquid pecuniarū , quas sum-  
mo studio coaceruauistis , impendere . Sed demus  
fieri posse , vt in tāto Principis somno & negligētia :  
in tanta ministrorū avaritia : in tanta populorū ca-  
lamitate , sit tamen ærarium refertū : quem fructū  
poteris in bello ex ingēti pecunia , sine virtute per-  
cipere ? diuitiæ nāq ; quas imbelles homines pos-  
sident , non eorum propriæ : sed hostium potius exi-  
stimādæ sunt ; victorū enim manubiæ sunt , nō im-  
becillitatis oppressæ subsidia . tantum enim abest ,  
vt grandis pecunia sine virtutis auxilio opem fe-  
rat

rat vllam: vt maius etiam ruinæ periculum moliantur. omnes enim illud bellum libentissimè suscipiunt, ex quo minimo cum periculo, maxima sibi belli præmia pollicentur. Quocirca minimè probbo eorum sententiam, qui pecuniam belli neruos esse dicunt. Bellum enim, non tam pecunia, quām virtute conficitur: & virtute pecunia comparatur, non virtus pecunia. Nec enim Darij gaza Alexandri Magni virtutem oppressit: Alexandri porrò virtus omni Darij gaza potita est; ex quo sequitur nullum esse firmū præsidium, vbi virtus abest, in diuitiarum affluentia constitutum. Quid fiet igitur in bello de Rege ignauo, & imbecillo: diuite tamen & opulento, cum ab hoste acri, & strenuo fuerit oppugnatus? profectò nisi pacem ab hoste auaro & insolente multo auro redemerit, cum omni Repub. sibi commissa funditus interibit. quod quidem dedecus non dico Principibus, quorum omne studium est in verissima gloria consumendum: sed omnibus ingenuis hominibus, qui dignitatem charam habent, debet esse morte ipsa calamitosius. Non est enim pax fortibus hominibus auro: sed virtute pariēda. Quid illud? quòd in pace pecunia redempta, nullum est firmum amicitię fœdus: sed perpetuæ seruitutis autoramentum; necesse enim erit singulis fermè annis, eadem tributa pendi: aliter enim nunquam deerunt causæ, quibus

DE REG. INSTITVT. ET

quibus victor bellum intermissum redintegret : vt  
illum quem semel perculit , & abiecit , omnibus  
tandem bonis spoliet. Vbi igitur Rex fuerit mollis  
& languidus , & veneri deditus , & in Rep. gerenda  
dissolutus , & in potestate perditorum hominum  
constitutus : fieri non poterit vt status Reipu. con-  
seruetur ; nam nec vllæ opes esse possunt , vbi vir-  
tutis studium extinctum est . & quamuis ingentes  
opes essent à Principe domi recōditæ , nullum esse  
posset in illis firmum ad pericula depellenda sub-  
fidium ; imò , quo plures opes sunt iniuria partæ ,  
eò Princeps maiore suorum odio flagrat , & maiore  
aliorum inuidia premitur , & acrius cupiditatem  
hostium incendit , & irritat. Hæc quidem mala &  
alia multa sunt , quæ adulatorum opera Rebuspu.  
inferuntur , cùm regem mollem atq; desidem naëti  
fuerint. videte igitur , quā sint semper omni Reip.  
tetri & infesti , & perniciosi : siue in pace , siue in bel-  
lo , siue sese ad Regem acrem & impigrum , siue ad  
desidem & ignauum applicuerint. Non enim ij  
sunt qui vnum , modo & ratione refrent : alteri  
stimulos admoueant : imò contrà , qui animum  
vehementem & incensum acrius inflammat , &  
ardentibus furoris & amētiæ tēdis exagitent. ani-  
mum verò mollem & languidum , & flagitio cor-  
ruptum , multò magis mollem & flagitiosum red-  
dant , totiusq; laudis & dignitatis immemorem.

Vt

Vt autem in fidibus cùm nerui nimis intenduntur,  
aut nimis remittuntur, harmoniam dissolui necesse  
est: ita cùm Rex aut nimis ad vim, ad facinus, ad  
belli furorem concitatur, aut nimis animo relaxa-  
tur, & nimis molliter & delicate se gerit: necesse  
profectò est, omnem concentum & symphoniam  
Reip. conturbari. Illud enim nimis, quod tu Me-  
nesi omnem vitæ rationem euertere dicebas, adu-  
latorum est proprium: nimis enim laudant, nimis  
vituperant, nimis erigunt animos, nimis abijciunt,  
nimis gestiunt, nimis afflictantur; & ita cùm ad  
Regem accedunt, in quamcunq; partem eum incli-  
natum vident, nimis eum impellunt, & paululum  
etiam labātem præcipitant. Quid autem cùm Rex  
non vnam tantum sectam sequitur; sed in cōtrarias  
partes ancipiti studio & cura distrahitur? fit enim  
interdum vt non solum acer, iracundus, elatus, am-  
bitiosus, insolens & infestus sit: sed etiam lāguidus,  
& eneruatus, & petulans & flagitosus, & libidini  
atque nequitia nimis turpiter addictus. Vt igitur  
in eodem simili verser, quo paulò ante usus sum,  
quemadmodū in cithara, cùm aliæ chordæ nimis  
intentæ, aliæ nimis laxæ sunt, & omnes inter se ma-  
ximè discrepent, absurdæ quædā & dissonæ voces,  
cum maxima aurium offensione fundūtur: ita Rex  
in tanta vitæ disparitate, morborumq; repugnan-  
tium dissimilitudine à se ipso dissidens, secumq;  
discor-

DE REG. INSTITVT. ET

discordans, omniū hominū aures, oculos, animos  
grauiter offendit: vniuersamq; Rép. nimis confusa  
& absonta ratione perturbat. nec enim ea tantum  
furore & amentia, & incōsiderata temeritate cōuel-  
lit: sed etiā dedecore afficit, flagitorūq; omniū im-  
puritate corrūpit. In hac igitur tam perturbata vite  
ratione, tantaq; flagitorum dissensione, atq; pugna  
operæ pretiū est animaduertere, quām operā nauēt  
isti boni viri Principibus; q̄ variè suā naturā versent,  
& ad variā atq; dissimilē cupiditatē Regis accōmo-  
dēt. tantum enim valent ingenio, vt nullus sit tam  
difficilis morbus, quē non adulādo & assentādo au-  
geant: nullus sit animus tantis cōmotionibus agi-  
tatus, quē non omni flagitio & ægritudine cōtami-  
nent; tam diligenter autē vnicuiq; Principis flagi-  
tio seruiūt: vt ad illud tantum incitandū natos esse  
dicas. nunc enim furorē Principis augent, & illum  
immēsa cupiditate dominationis inflāmant: nunc  
omnibus blanditijs & lenocinijs ad vitæ mollitiē,  
atq; flagitiosas voluptates alliciūt: & ita deniq; va-  
riè illū torquent, & flectunt; vt nihil Regibus qui se  
illis dediderūt aut magis vehemens & acre, aut ma-  
gis languidū & eneruatum possit excogitari. Quod  
si vt ante iam dictū est, duæ virtutes cùm omnibus  
ingenuis hominibus, tūm vel maximè Regibus ne-  
cessarię sunt, nempe fortitudo, & animi moderatio:  
omnisq; Principis institutio eo in primis referenda  
est,

ter elatus, nec abiectus atque demissus animus, poterit ullo modo in regia dignitate versari; omnis igitur institutio ad regiam dignitatem, & amplitudinem conferatur. Quemadmodum igitur ( ut ante diximus ) pueris qui opifices futuri sunt, utile est illis ludis oblectari, quibus ad artem illam percipiēdam magis prompti & expediti sint: sic etiam qui Rex futurus est, in pueritia ludendo discat æquitatem, discat liberalitatem, discat modestiam, discat virtutem, & aliquod honestum certamen ineat, ex quo laudem aliquam sibi vendicare conetur. caueatur autem diligentissimè ne fabulas quidem audiat, quæ ab hoc instituto nimis abhorreant: sed omnes ita composite sint, ut ex illis etiam intelligat iniuriam & iniquitatem esse rem tetram, odiosam, & detestabilem, sempiternoque supplicio vindicandam. petulans & obscenum verbum ex ore illius non exeat; imo cum alios obscenè loqui perspexerit, id indignè patiatur. Ad quod quidem multum refert, quales sint nutricis mores. vellem equidem in omnibus naturæ instituta seruari, quæ non minus Reginis, quam reliquis mulieribus binas mammas attribuit, quibus filios quos partu ediderunt, sui lactis ubertate sustentarent; sed quando tantum deliciæ atque perditæ mores potuerunt, ut non Reginæ solum: sed omnes fermè honestæ mulieres, illud dulcissimum ma-

tris nomen, potius mallent cum alijs mulieribus  
 communicare, quam laborem aliquem in nutrien-  
 do suscipere: id saltem cauendum est, vt non ea nu-  
 trix sit, quæ verbum petulans & obscenum efferre  
 minimè vereatur. id enim quod primùm puer in-  
 fans arripit, perpetuo in illius animo infixum per-  
 manet. quod si prava cōsuetudine infectus, obscenè  
 loqui didicerit, multa etiam cū obscenitate & im-  
 pudentia geret. loquendi enim consuetudinem,  
 mores & instituta vitæ sequuntur; leue namque &  
 tolerabile flagitium illud videtur, quod in ore fre-  
 quenter habemus. Et quamvis nullum aliud in-  
 commodum ex hac sermonis obscenitate proueni-  
 ret, quam pudoris interitus; id tantum malum est,  
 quantum verbis explicari non potest. amissio enim  
 pudore, totum etiam studium dignitatis & hone-  
 statis extinguitur; ad pudorem autem conseruan-  
 dum, illud est etiam utilissimum: vt non solum pa-  
 rentes summā pietate colat, & eorum offenditionem  
 valdè vereatur, neq; solum magistrum & paedago-  
 gum metuat; verum etiam senes autoritate, & pri-  
 dentia graues in honore habeat; & ne in illorum  
 offenditionem incidat, se multis in locis à concessis  
 etiam iocis abstineat. Præclare enim illud quod  
 est apud Xenophonem. ita enim Cyrum Mag-  
 num cum mors instaret, loquentem cum filijs in-  
 ducit, vt cum eos multis verbis ad omnem virtu-  
 tem

tem erudiret , tum præcipuè illis studium pudoris & modestiæ commēdaret . ait enim . Patrijs quidē institutis & moribus sic institutus sum , vt semper natu maioribus , non fratribus solum : sed omnibus ciuibus cederem via , sede , atque sermone . similiter autem ô filij sic vos à primis annis institui , vt ij , qui vobis antiquiorès essent , vos etiam honore præcederent : ijsque tantum vos præpositos esse putare tis , qui vobis iuniores essent . non igitur nouum ali quid & inusitatum vobis præscribo , sed antiquum morem , & publice receptum atq; legitimū . Hæc quidem Cyrus ille ( qui virtute sua à paruis initijs , ad tantam amplitudinem peruenit , vt imperium suum extremis Asiæ terminis definiret ; & cui Sanctæ literæ diuinæ virtutis testimoniū dant ; & cuius nomen ab Isaia multis ante seculis quām nascetur egregie celebratum fuit ) moriens filijs suis dixit , atque testificatus est . nec enim regiæ dignitatis interitum forè putauit , si senes se coram filijs suis non abijcerent : imo in ea sententia fuit , vt censeret fieri non posse , vt filij sui Regio nomine digni aliquando essent , si in prima ætate non senibus grauitate præditis assurgerent . intelligebat enim vir sapientissimus , maximum regiæ virtutis fundamen tum pudore & verecundia puerili contineri . pueris autem utile esse regi , non regere : vereri alios , non metum incutere : assurgē senibus , non senum as-  
q 5 senta-

sentationibus inflari. Hoc igitur præceptum siue Cyrus liberis suis dedit; siue Xenophon ad effigię institutionis regiæ atq; legitimæ datum fuisse finxit, ego diuinum puto, quod tamen quantum à nostris moribus abhorreat, vos ipsi considerate.

<sup>3</sup> Theodosius Magnus Arsenium ( virum eo tempore eruditionis & eloquentiæ nomine florentissimum) Roma accersiuit, vt filios suos Arcadium & Honorium Imperij successores, omnibus optimis artibus atque disciplinis erudiret. Constantinopolim igitur profectus Arsenius prouinciam suscipit, & Principes docere, incipit. cum autem Theodosius quadam die vellet oculis cernere, qualiter filii sui erudirentur, ad illos ingressus est, eo tempore quo Arsenius, suum munus obibat. offendit autem filios in solijs sedentes, stantem autem Arsenium; id videns Theodosius ira grauissimè commotus est, filijsq; præcepit, vt surgerent, magistro autem vt sederet, imperauit: deinde filijs ne vñquam coram magistro sederent, magistro autem, vt quoties ei videretur, eos verberibus cæderet, nec vñquam in eorum erratis vlla ratione connueret. Hæc quidem vir ille fortissimus, & omni virtute ornatisimus, qui orbem terrarum Imperio continebat, filijs atque filiorum doctori præscripsit; in quo quidem si illi permanissent, patris certè vestigijs insistere potuissent, neq; tantum naufragium

fragium Imperij factum fuisset. sed cùm pater bel-  
lis implicitus necessario abesset, & illi in potestate  
mulierum, & hominum lautorum relinquenter,  
euenit, vt magistrum à se minis expellerent, & de-  
licijs effœminarentur: ita vt nemo eorum posset ad  
laudem parentis optimi principis aspirare. Nos  
tamen eò vnde defleximus redeamus. cum igitur  
in Principis institutione magna verecundiæ ra-  
tio habenda sit, ad eam verecundiam confirman-  
dam valdè interesse censeo, constipari Regem ho-  
minibus prudentia & autoritate grauibus, quos  
tanquam parétes vereatur, & magistri offensionem  
metuere: ne si illum contemnere cœperit, frustra in  
illo instituendo omnis labor impendatur. Volo  
præterea scurris aditum intercludi. intempestiuis  
enim iocis verecundiam tollunt, & conuitijs mul-  
tos homines honestos exagitant: quorum vtrumq;  
est nimis à Regijs moribus & institutis alienum.  
est enim boni Principis vrbaniatem à scurrili lo-  
quacitate discernere: & ita delectari facetijs, vt sem-  
per impudentiam atque petulantiam execretur;  
ita laxare animum festiue dictis; vt conuitia ple-  
at, & maledicendi licentiam vlciscatur. Maledi-  
ctum igitur ipse neque conijciet vnquam in aliqué,  
nec ab alio cōjci patietur. præterea médaciū odio  
maximo persequatur opus est is, qui est ad mag-  
nam nominis Regij laudem peruenturus. est enim

Veritas

FASIO

DE REG. INSTITVT. ET

Veritas bonum stabile atque sempiternum Deo  
gratissimum, ad amorem hominum alliciendum  
aptissimum, ad præsidia comparada firmissimum.  
omnes enim se illi libentissimè tradunt, quem spe-  
rant summū vitæ discrimē potius aditurum, quām  
aut datam fidem violet, aut mendacio quempiam  
circumueniat. Mendacium præterea est animi par-  
ui & angusti flagitium, omnia quantumuis leuia  
pericula metuentis. omnes quidem natura verita-  
tis appetentes sumus, eamque summa diligentia  
peruestigandam arbitramur, eoq; studio ducti pro  
veris verisimilia interdū libenter arripimus. Mag-  
num profectò signum est nihil esse magis aptum  
humanæ naturæ, quām veritatem, quod illius etiā  
fallaci specie delectemur. Quām turpe autem men-  
daciū, quām indignum hominis præstantia sit:  
**ex eo liquet;** quod iij etiam qui sæpè mentiuntur,  
maximum laborem, atque solicitudinem in men-  
dacio concinnando atque cēlando suscipiunt, ma-  
nifestoq; deprehensi vehementer erubescunt. nun-  
quam certè eos mendacij puderet, nisi vi naturæ  
victi iudicarent, fœdum atque flagitosum esse mé-  
tiri. Si igitur omnes natura veritatem exquirimus,  
& mendaciū turpitudini semper affine iudicamus;  
**quid est,** quod tām multos homines métiri cogat?  
nihil aliud profectò nisi metus. omnes enim qui  
mentiuntur, aut pœnam, aut incommodum, aut  
offen-

15110V

offensionem , aut aliquid aliud eiusmodi pertime-  
scunt ; & ea de causa mendacij sibi perfugia compa-  
rant . Cum verò metus hominum sit animi fracti ,  
& abiecti , atque turpiter seruientis ægritudo ; in  
animos liberos , & excelsos cadere non potest : sed  
in seruos furaces atque fugitiuos , minas & verbera  
metuentes . Rex autem hoc nomine dignus esse nō  
poterit , nisi fuerit animo magno & excelso , omnia  
horribilia dignitatis gratia contemnēte ; & ita col-  
ligitur illum nulla conditione adduci debere , vt  
mentiatur . Præterea mendacij totius origo est in  
animi tenebris , & amentia cōstituta . Animus enim  
lumine mentis orbatus , ignorantiaeq; tenebris &  
caligine demersus , sibi ipse mētitur , se ipsum fallit ,  
& in capitalem fraudem impellit . Cum autem ni-  
hil sit amentia detestabilius ; sequitur omne men-  
dacium esse detestabile . quod enim à pestifero fon-  
te profluit , pestiferum sit necesse est . Sed inquiunt  
multi vt M. noster asserebat Reip. rationes inter-  
dum postulare , vt Rex inuercunde mentiatur .  
quo nihil flagitosius dici potest . primum enim  
nulla vtilitas est , cum turpitudine coniuncta ; nec  
enim ea est vtilitas appellanda , quæ multo magis  
nocet quam iuuat . qui autem vtilitatis gratia mē-  
titur , nulla vtilitate potest id quod damni facit ,  
resarcire . Dignitatem enim qua nihil in rebus hu-  
manis præstantius est amisit : vt vel pecuniam au-  
geret ,

MUCICINUM

## DE REG. INSTITVT. ET

geret, vel imperij fines dolo atq; fraude propagaret,  
sic igitur fit, vt quod lucratus est, nō sit cū eo quod  
amisit vlla ex parte comparandum. vt enim qui vt  
stannum coäceruet, aurū atq; gemmas effundit, nō  
est in re familiari diligēs existimādus: ita qui vt ali-  
quod lucrū faciat, dignitatem abijcit, non vtilitati  
seruire: sed omnes vtilitates euertere putandus est.  
qui autem mentitur dignitatem suā abijcit; auari  
enim atque perfidi, & iniusti famam colligit: nullo  
igitur modo mēdaciū vtilitatē constituit: sed mag-  
num potius detrimentum sibi, atque rebus suis im-  
portat. Quid illud: quod etiā ea quorū cupiditate  
is, qui nimis vtilitatem respicit, discessit à dignitate,  
frequenter amittit. præclare Aristoteles ait, falsum  
bonum in principio, verūm malum esse, temporis  
progressu conuinci. quām falsum autem bonum  
sit, id quod mendacio comparatur, ipsius menda-  
cij nomen apertè declarat. Præterea nihil stabile  
potest esse, quod non est hominum fidelitate mu-  
nitum. qui autem fidem sanctè non colit, non  
potest aliorum fide muniri, nemo enim illi cre-  
dit; sic autem fit, vt omnes vtilitates mendacio  
partæ, facillimè dissipentur. vt enim mercator  
qui specie præsentis vtilitatis illectus aliquem frau-  
dat, illud quod fraudulenter auertit animo se-  
curo non possidet, & omnes sibi vias pecuniæ  
maioris intercludit; nemo enim cum illo com-  
mercium

3323

ratione profligari in regno tuo virtutem, & ignauia  
in dominatu constitui. id ne igitur fieri vlo modo  
patieris, quo simul & regni tui opes infiringas, &  
hostibus lætitię causam afferas, & quoties signa cō-  
tuleris, illis necessariò victoriam cum insigni clade  
tua & ignominia concedas? Præterea libenter ex  
te audirem, quid malles annales de te ad annos  
sexcentos prædicare? num quòd te semper præ-  
bueris hominibus nobilibus, quamuis essent igna-  
ui & flagitijs omnibus infames obnoxium, & eoru  
cupiditatibus obsequentem? an quod nullum ina-  
ne nobilitatis men plus apud te valuerit, quām  
egregiæ virtutis ornamentum? dubium certè non  
est, quin malles memoriæ tradi te nihil vnquam in  
vita pluris quām virtutem aestimasse. id igitur nūc  
fac, quod posteritati commendari, & hominum  
sempiternæ memoriæ consecrari ardentissimè cu-  
pis. Illud deinde considera, neque iustitiæ æquita-  
tem pati, nec vllā prudentiæ rationem ferre, vt qui  
nullā omnino Reip. vtilitatē afferūt, opibus Reip.  
faginētur; & quod erat fortibus & spectatis homini-  
bus tribuendū, ignauis, & otiosis sine vlo modo tri-  
buatur. imò vt apes fucos arcēt, eò quòd fuci neque  
ceram conficiunt, neq; cellas extruūt, nec eas melle  
cōplent: sed ipsum mel apiū labore, cura, & sedulita-  
te confectū in téperanter absūmūt: sic oēs homines  
desides & ignauī, qui tanquā fuci cùm nullā operā

DE REG. INSTITVT. ET

Reipu. nauent, omnes tamen Reip, opes liguriunt  
atque deuorant, à regni finibus expellédi & ejciédi  
sunt. si enim boni Principis est, turpe otium & de-  
sidiā non impunitam relinquere: summum certè  
flagitiū erit, ipsam segnitiem muneribus industria  
debitis ornare; & si ad officium boni Regis perti-  
net, virtutem remunerare, non mediocre scelus Re-  
gis erit, virtutem negligere; & beneficia quibus vir-  
tus erat afficienda, ad ignauiae & dedecoris orna-  
mentum transferre. Quibus autem quæso artibus  
& disciplinis, vel Cyrum, vel Alexandrum, vel Cæ-  
sarem, vel alios Imperatores qui regiones innume-  
rables armis inuictis peragrarunt, tantum potuisse  
suspicaris: vt nihil esset vel tam natura & arte mu-  
nitum, vel tam firmo præsidio vallatum, quod non  
armis atque virtute superarent? hac vna certè disci-  
plina, qua virtutis institutio & amplificatio conti-  
netur. non enim diuites qui malis artibus pecunias  
quærebant, & domi congestas habebant, non ho-  
mines opinione nobilitatis inaniter inflatos: sed sa-  
pientes & fortes ornabant, nec vlli generi hominū  
modo in illo vigeret virtus & industria, aditum ad  
honores summos intercludebant. quidquid autem  
erat virtutis ornamenti nudatum, quamuis auro  
& gemmis splenderet, & titulis magnificis ornare-  
tur: despiciebant, & contemnebant, atq; pro nihilo  
putabant. satis diuite esse putabant, quem virtute  
cumu-

cumulatum esse viderent, & satis nobilem esse cen-  
sebant, qui factis egregijs notus esset. Cùm igitur  
multi nobiles, ne nomen maiorum virtute partum  
aliquo dedecore macularent, multum operę in vir-  
tutis studio ponerent: cùm multi rursus ignobiles  
ad spem dignitatis amplissimæ raperentur, eaque  
de causa virtutis studio flagrarent, necessario eue-  
niebat, vt multi virtute excellentes extarent. mini-  
mè igitur mirum erat, cùm Principes illi se multis  
fortibus & spectatis hominibus stiparent, eos orbé  
terrarum sub imperium ditionemq; suam subiun-  
gere. Hac etiā ingressi via Hispaniæ Principes quo-  
rum stirpe procreatus es, res memorabiles in rebus  
bellicis effecerunt, & Mauros ex Hispaniæ finibus  
expulerunt, multasque Solis orientis & occidentis  
oras armis expugnarunt. sed quid Hispaniæ princi-  
pes memoro: cùm nemo vnquam vel apud Græcos,  
vel apud Latinos, vel apud barbaras & incultas na-  
tiones vir magnus extiterit, qui non virtutem om-  
nibus opibus, & titulis, & generis ornementis: siue  
in pace, siue in bello prætulerit? Principes enim vſu  
rerum periti, virtutibus instructi, cupiditate laudis  
incensi, bonorum consilio firmati, fortium hominū  
comitatu circūsepti: quo tandem modo vinci atq;  
superari potuissent? Si igitur Princeps clarissimè &  
humanissimè eo quo te istius animi magnitudo vo-  
cat intendis; si ad sumimum & amplissimum decus

DE REG. INSTITVT. ET

eniteris; si vel pacis ornamentis in otio honesto redi-  
dundare, vel firmissimis praesidijs in bello muniri  
cupis; si maiorū vestigijs ingredi, & optimi Regis  
officio perfungi desideras; non opes ingentes, si vir-  
tute nudatæ fuerint magnificiendas existimes; non  
generis nobilitatem, si fuerit honestatis expers or-  
nandam arbitreris; virtutemque tantum qua nihil  
neque pulchrius, neque iucundius, neq; salutarius  
esse potest amplectere. iure tuo vtere, libertatem re-  
tine, ne ullius inanem fremitum vereare, nullius ho-  
minis arrogantis offenditionem pertimescas; fac tuæ  
excellentis indolis atque virtutis indicium. con-  
temne igitur ignauiam, coercce temeritatem, refeca  
libidinem, comprime superbiam: nemo sit in toto  
regno vel tam opibus elatus, vel tā nobilitatis opi-  
nione tumidus, qui tibi leges imponat, tantumque  
sibi sumat, vt te à studio ornandæ virtutis abducere  
conetur. in quocūq; igitur hominū genere virtutē  
nitere perspexeris, illud honestandum suscipe. si id  
fuerit ignotum nobilita; si fuerit egens, locupleta; si  
fuerit humile, in altum gradū dignitatis extolle; &  
factis ostēde, nihil apud te plus valere, quam splen-  
dorem iustitiæ, quam animi excelētis altitudinem,  
quam admirabilem totius decoris & honestatis ele-  
gantiā: & sic tandem fiet, vt hostibus timorem inij-  
cias, ciues ad amorem allicias, omnibus admiratio-  
nem cōmoueas, fortium hominum firmo præsidio  
muniaris,

muniaris, diuina semper ope & auxilio cōfirmeris,  
gloriaque immortali circūfluas', nullaq; posterita-  
tis memoria de tua præstante virtute fileat. Hæc me  
Regi dixisse putate; quod si illi persuasero, vt in ho-  
minum delectu nihil virtuti præferendum existi-  
met, illum minimè officio suo defuturum esse con-  
fido. Quantam autoritatem sit apud illum habi-  
turus, inquit, M. si ad illum orationis istius vim  
& ornatum contuleris, augurari non possum. hoc  
planè scio, me tuis argumentis adduci, vt credam,  
omne status regij tuendi & conseruandi præsidium  
esse in bonorum studio, consuetudine, & fami-  
iliaritate ponendum. Quod inquam magnum ad-  
iumentum bonorum hominum familiaritas Re-  
gibus afferat, recte iudicas: quòd verò omne Regis  
præsidium in ea collocas, falleris quidem meo iudi-  
cio. sunt enim alia multo maiora & firmiora, vt  
statim videbimus. sed prius pauca quædam de fru-  
ctu, quem Reges ex bonorum consuetudine perci-  
piunt dicenda sunt. Primū quidē ea regibus pluri-  
mum dignitatis adiungit. vt enim vix quidquā est,  
quod maiorē labem & maculā dedecoris injurat re-  
gibus, quām improborū familiaritas: ita cōsequens  
est, vt bonorū cōuictus, illis multū dignitatis affe-  
rat. talem enim opinionē de principum moribus &  
vita recipiūt homines: quales sunt eorū mores, quo-  
rum familiaritate eos implicatos animaduertunt.

iq̄ls

A 4

deinde

deinde prudentia, prudentium consuetudine non paratur solum; sed etiam augetur. recte Theognis.

Recti recta monent, prauos si audiueris, illi

Quidquid habes mentis, fraudibus eripient.

accedit animus magnus, atque rei benegerendæ, fiducia. intelligit enim Princeps qui bonos atque sapientes viros ad suum nomen adiunxit, eos quibus suam salutem atque dignitatem credidit: neque temeritate labi, neque metu frangi, neq; perfidia corrumpi vlo modo posse. nec illud mediocre subsidium putandū est, quod ij Principes qui bonis hominibus vtuntur, partim eorum exemplo, partim etiam verecundia facilius libidines suas tenent, & modestiæ atque temperatiæ dulcedine capiuntur. Postremò Princeps ille, qui sibi bonos studio atq; benevolentia deuincit, illa iucunditate perfruitur, quam plerique principes sentire non possunt. quid enim est in vita amico fideli dulcius? quid ad fructum melius? quid ad securitatem munitius? hoc autem tanto bono carent omnes fermè Principes. ita verò fit vt ij, qui maximè fidelibus amicitijs firmandi atque fulciendi sunt, nullum fidelem amicū habeant. quod quidem dupli ratione contingit: vna est quòd amicitia, iuris quadam æquabilitate, & pari atque simili vitæ ratione continetur; Regis autem maiestas & amplitudo sublimior est, quam ut quisquam ad illius æqualitatem & similitudinē

aspi-

A

aspirare queat: altera, quod Reges non omnem cū-  
ram & solicitudinem ad bonos viros eligendos cō-  
ferunt: sed eos tantum qui se simulato officio infe-  
runt & intrudunt, in familiaritatem recipiunt. Pri-  
mūm impedimentum modestia & humanitate, se-  
cundūm prudentia atque delectu tolli potest. non  
quidem fas est aliquem Regi dignitate exæquari,  
illud tamen præstat Regis humanitas atque mo-  
destia, vt in priuato saltem colloquio, & in secreto-  
rum cōmunione, eos quos videt esse sapientia atq;  
fide præstantes, secum exæquari patiatur; neque se  
illis anteponat, quos regia virtute præditos ani-  
maduertit. similiter etiam principes sapientes non  
eos qui se venditant & ficta sedulitate simulataque  
virtutis specie se regibus insinuant: sed eos qui vere  
virtutis opibus florētes, & ab omni leuitate & ostē-  
tatione remoti sunt, secum benevolentia & amore  
coniungunt. quod qui faciunt neque prodi, neque  
deseri, neque in fraudem induci possunt. cūm enim  
beneficia sua apud homines gratos, & memores, &  
fide atque virtute præstantes habeant collocata;  
fieri non potest, vt non eorum fide, virtute, cura,  
studio, vigilantia sepiantur; & in omni graui casu,  
& in omni fortunæ iniuria, non eorum opes, atque  
adeò vitam pro suo statu in discrimen offerri per-  
spiciant. Hac igitur ratione Princeps qui statum  
suum hominum excellentium fidelitate cōmuni-

DE REG. INSTITV. ET


rit, in illorum virtute conquiescet; illorum opibus  
cum opus ita fuerit perinde vtetur atque suis; con-  
silia sua cum illis libentissimè cōmunicabit; in illis  
deniq; ponet laboris totius alleuamentum, hone-  
stissimum pacis ornementum, firmissimum belli  
subsidiū, summam in secunda fortuna iucundita-  
tem, tutissimum in aduersa perfugium: ita vt non  
solum Regis dignitas, sed animi etiam securitas &  
oblectamentum, in amicorum sapientia, & virtute,  
& fide consistat. Ex quo sequitur non esse principis  
opes tam in auro & argento, & in gemmis, & in ve-  
ctigalibus immensis, & imperio latissimè propaga-  
to; quām in hominum honestissimorum amicitia  
collocandas. vt enim Dion ad Dionysium scribens  
ait, Nō videmus in tragædijs Principes argenti ino-  
pia: sed amicorum penuria concidi. nemo enim eo-  
rum conqueritur, quod egestate compulsus in con-  
iuratorū manus inciderit: sed quid dicit? Orbatus  
amicis ah miser fœdè interimor. Apud Persas olim  
quidam Regis oculi nominabantur, alij verò aures,  
alij postremò amici, quo quidē nomine illæ etiam  
oculorum, & auriū functiones facillimè cōtinentur.  
sic autē fit vt Rex qui fidelibus amicis stipatus est,  
multis oculis omnia quæ sunt illi speculanda atque  
animaduertenda prospiciat; multis item auribus,  
omnia quæ sunt audienda cognoscat: ita vt labi &  
errare minime possit Princeps igitur qui hoc sapiē-

ri, tit.

A.

ter

# TYPOGRAPHVS LECTORI.



IXDVM opus hoc de Reginis institutione & disciplina, à R. D. Hieronymo Osorio Epis. Syluen. per eos quos ipsi amicos esse sciebam, ut in hac nostra officina typis excuderetur impetratum absoluera: cum mihi ab eodem errata non pauca cum graui querela, & peracerba nostræ diligentia accusatione mittuntur. quæ mihi quidem res maiorem attulit molestiam quam ut quisquam possit existimare, eā siquidem diligentia adhibueram, vt liber hic quam emendatissimus in lucem prodiret, quā satis esse arbitrabar. sed partim ignauissimorum chalcographorū oscitatio: partim quod is cui emendandi cura incubebat alijs impediretur; aut certè librarij vitio qui exemplar nobis traditū ex ipso autographo fide haud qua quā bona excripsisset: quib' accessit, quod autor qui in Algarbio tanto locoru interuallo aberat, vt sine dispēdio & graui nostræ officinæ incōmodo adiri nō posset effectū est, vt labor noster & diligētia inanis reddeatur. Quando igitur lector optime huic malo mederi alia ratione nō possumus, errata oīa hīc in vnū cōgesta exhibemus: quo facilius & tibi atq; pximo typographo qui hoc opus denuo excudendū pararet, consultū esset: ne in eundē (quod aiunt) lapidē nostro periculo edoctus impingeret. Vale.

R

## ERRATA.

¶ Folio 3. afronte, linea 24. nihil esse animo, lege nihil esse animo maximo. ¶ Fol. 4. atergo, linea 12. moderetur, lege moderatur. ¶ Fol. 7. atergo, linea 4. faustis omnibus, le. faustis ominibus. ¶ Fol. 9. afronte linea 3. le. consecuta sunt. ¶ Fol. 12. atergo, lin. 5. oblegandā, leg. ablegandam. ¶ Fol. 16. afronte, linea 24. torpere, lege torpore. ¶ Folio. 19. atergo, linea 20. aliquæ reliquiæ, lege aliquæ reliquiæ. ¶ Fol. 20. atergo lin. 9. inuiles, lege inutiles. ¶ Fol. 23. atergo, lin. 8. in fradem, le. in frau- dem. ¶ Fol. 24. afronte, lin. 15. tantumdem, lege. tantum de. ¶ Fol. 25. atergo, lin. 25. ad libertatem, lege ad liberalitatem. ¶ Fol. 26. atergo, lin. 25. ornata, lege ornatè. ¶ Fol. 27. atergo, lin. 25. attinent, lege attinet. ¶ Fol. 33. atergo, lin. 21. collocanda, lege. collocandam. ¶ Fol. 35. atergo, linea 20. deſtandā, lege detestandam. ¶ Fol. 38. in frōte, lin. 14. bethle- micus, lege bethlehemiticus. ¶ Fol. 39. in frōte linea 9. possis, lege possit. & lin. 17. vesari, lege versari, & atergo, lin. 8. sustendum, le. sustinendū. ¶ Fol. 40. linea 10. in Reipub. lege in Republica. ¶ Fol. 47. atergo, lin. 23. dicere, lege discere. ¶ Fol. 50. afronte, linea 6. fit, lege sit. & eod. fol. atergo, lin. 14. quantus, lege quantas. ¶ Fol. 55. afronte, linea 23. aledan- drum, lege alexandrum. ¶ Fol. 57. afronte, lin. 5. flagras, leg. flagrans. & atergo, linea 23. cum diguitate, lege cum in dignitate. ¶ Fol. 58. atergo, lin. 19. igitur, le. si igitur. ¶ Fol. 60. atergo, lin. 27. comode, le. quomodo. ¶ Fol. 61. lin. 24. patiatur, leg. patientur. ¶ Fol. 63. afronte, lin. 1. totius, lege & totius. ¶ Fol. 66. atergo, lin. 10. licentiae, lege licentia. & linea 17 denum, lege domum. ¶ Fol. 67. afrōte, lin. 20. in quod, scribe id quod. & atergo, lin. 24. gubernare, lege gubernari. ¶ Fol. 69. atergo, linea 6. furentem, lege furenter. ¶ Fol. 70. afronte, lin. 3. suo, lege sua. & lin. 6. carpat conficiat, lege carpat atque conficiat. ¶ Fol. 44. afronte, linea 19. iudio, lege iudicio. ¶ Fol. 80. afronte, lin. 18. sed id, lege sed quid id. ¶ Fol. 83. afronte, lin. 4. habeat, lege habeant. ¶ Fol. 90. atergo, linea 1. erūm, lege eorum. ¶ Fol. 97. atergo, lin. 19. pueris, lege puerilis. ¶ Fol. 98 atergo, linea 20. preditas, lege predicas. ¶ Fol. 105. atergo, lin. 7. diſide- tes, lege diſidentes. ¶ Fol. 107. afronte, linea 10. relique, lege relinque. ¶ Fol. 108. afronte, lin. 9. gerat, le. gerit. & atergo, lin. 15. Rem. vniuer- sam, lege Rempublicam vniuersam. ¶ Fol. 109. afronte, lin. 20. versaba- tur, lege versatur. & atergo, lin. 6. effecit. lego efficit. ¶ Fol. 110. atergo, lin. 5. onde, lege vnde. & lin. 9. cōtineri, scribe cōtinere. ¶ Fol. 115. atergo lin. 23. in pullus, lege in purus. ¶ Fol. 116. atergo, lin. vlti. moderatione, lege meditatione. ¶ Fol. 117. afronte, lin. 17. eo temperatione, lege ea temperatione. ¶ Folio 119. afronte, linea 19. fine quo, lege sine quo.

¶ Fol.


¶ Fol. 120. afronte, linea 21. abdomen, lege abdomen. & eod. fo. atergo  
linea 9. auertit, lege auertat. ¶ Fol. 122. afronte, linea 20. in illi, le. in illis.  
& eod. fol. atergo, lin. 21. seruit, lege feruet. ¶ Fol. 123. afronte, lin. 24.  
metus autem ut duplex, lege metus autem duplex. ¶ Fol. 125. afronte,  
linea vlti. assurge, lege assurgere. ¶ Fol. 126. afronte, lin. 12. paretes, lege  
parentes. ¶ Fol. 129. afronte, lin. 15. dignitate, scribe dignitati. & eodem  
fol. atergo, lin. 16. obire lege obiri. ¶ Fol. 130. afronte lin. 3. commen-  
dandum, lege commendandum. ¶ Fol. 132. afronte, lin. 25. conseruūt  
lege conserunt. ¶ Fol. 134. afronte, linea 13. vel imitatione, vel in imita-  
tione. ¶ Fol. 137. afrō: e, linea 7. modulatur, lege moderatur. ¶ Fol. 138  
atergo, lin. 1. prebuerit, lege prebuerint. ¶ Fol. 140. afronte, lin. 4. ani-  
mum illius, lege animos illorum. ¶ Fol. 146. afronte, linea 16. didicerit,  
lege didicerint. ¶ Fol. 147. afronte, linea 12. candoris, lege candori.  
¶ Fol. 248. afronte, linea 9. initio, lege inito. ¶ Fol. 149. atergo, lin. 27.  
qui si, lege quæ si fuissent. ¶ Fol. 151. afronte, lin. 1. esse, lege esset. ¶ Fol.  
158. afronte, linea 9. contemnit, scribe contemnunt. & lin. 22. sequere-  
tur, lege sequeretur. & atergo, lin. 9. conuellij, lege conuellit. ¶ Fol. 163  
atergo, linea 24. quod omnem, lege quod omen. ¶ Fol. 167. afrōte, lin.  
7. sapientia, lege sapientiam. & atergo, lin. 18. ad quem, lege ad quam.  
¶ Fol. 168. in fronte, lin. 14. plnrium, lege plurimum. & atergo linea  
26. hominis scribe homines. ¶ Fol. 170. afronte, lin. 15. hac. lege hanc.  
linea 16. hominem, lege hominum. ¶ Fol. 172. atergo, linea 9. in eo, scri-  
be in ea. ¶ Fol. 175. afronte, linea 8. reliquis, lege reliquos. ¶ Fol. 177.  
atergo, linea 17. fragrantissimus, lege fragrantissimis. ¶ Fol. 180. atergo  
linea 26. morumq;, lege infirmorumque. ¶ Fol. 181. afronte, linea. 2.  
ornet, lege ornat. ¶ Fol. 182. atergo, linea 13. infamiliaritate, lege infam-  
iliaritatem. & ibid. immisero, lege immersero. ¶ Fol. 184. afronte, linea  
3. fecerunt. Icge iecerunt. ¶ Fol. 185. afronte, linea 19. positæ sunt, lege  
potitæ sunt. ¶ Fol. 188. afronte, linea. 7. sit, lege sis. ¶ Fol. 190. afronte,  
linea 16. consilis, lege consilijs. & linea 19. sapinetia, lege sapientia. &  
linea 26. partæ, lege parte. & linea 27. delitijs, lege delitijs. ¶ Fol. 193.  
afronte, linea 1. amplissimè, lege amplissimæ. & atergo, linea 16. ita  
nulla, lege ita ut nulla. ¶ Fol. 199. afrōte, linea 6. Romani, lege Romam.  
¶ Fol. 201. afronte, linea 9. rationibus, lege nationibus. & atergo, linea  
18. deuincire, scribe deuinciri. ¶ Fol. 202. afronte linea. 10. teguum,  
lege regium. ¶ Fol. 203. atergo, linea 4. id opem, lege ad opem. ¶ Fol.  
210. atergo, linea 3. atque spe sempiterna, lege atque spe de sempiterna  
¶ Folio. 212. afronte, linea. 6. cum principem, lege eum principem.  
¶ Fol. 214. afronte, linea 16. sic deum, lege sic vel deum. ¶ Fol. 221. ater-  
go, linea 8. & cum, lege & eum. ¶ Fol. 226. afronte, linea. 5. mestia, lege  
mestitia.

mestitia, linea 7, militibus, lege milites. ¶ Fol. 228. atergo, linea 21. ares, lege artes. linea 22. per se dignitatis, lege per se sine dignitatis. ¶ Fol. 229. afronte, linea 25. vtiliora, lege vtilior. & atergo, linea 2. sustentatur, lege sustentantur. ¶ Fol. 233. afronte, linea 2. videbant, lege videbunt. ¶ Fol. 237. afrōte, li. 4. cogitate, le. cogitare. & lin. 7. maximaq; premia, lege maximaq; premia persoluta sunt. ¶ Fol. 238. atergo, linea 13. debere, lege deberi. ¶ Fol. 239. afronte, linea 14. non in, lege alij. ¶ Fol. 242. atergo, linea 21. cum qui, lege eum qui. ¶ Fol. 241. afrōte, linea 5. temet lege timet. ¶ Fol. 243. afronte, linea 18. athenises, lege atheniēses. ¶ Fol. 245. afronte, linea 6. id obuiam, lege it obuiam. ¶ Fol. 246. afronte, linea 19. solum, lege socrum. ¶ Fol. 249. atergo, linea 17. vastate, lege vastatæ. ¶ Fol. 254. atergo, linea. 9. dedecoris, lege decoris. ¶ Fol. 256. atergo, linea 25. homines, lege hominis. ¶ Fol. 259. atergo, linea 23. debitam fidem & officium aut patriæ. scribendum. & non debitam fidem & officiū aut Regi aut patriæ. ¶ Fol. 263. afronte, linea 26. securitate, lege securitate. ¶ Fol. 270. atergo, linea 9. decernat, lege decernat. ¶ Fol. 273. afronte, linea 19. staturæ, lege statuere. ¶ Fol. 276. atergo, linea 17. famam, lege famem. ¶ Fol. 284. afronte, linea 26. difficile est inquietus. superfluit illud inquietus & ideo delendum. ¶ Fol. 290. atergo, linea 5. iucundus, le. iudicandus. ¶ Fol. 294. afronte, li. 7. diuini hominis, lege diuini numinis. eod. fol. atergo, linea 12. miro enim, lege miro etiam. linea 13. quotes, lege quoties.

F I N I S.

INSTITUTO DE HISTÓRIA DA EXPANSÃO E DO COLONIALISMO

Faculdade de Letras - Coimbra



B Preg. da Guerra

J

320

